Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8290
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Laborant plerique manibus & pedibus ut eorum opificia quam officiosissime adimpleant, nihil plane omittentes, omnia effingunt, & quicquid hominis minerua potis est excogitare, id opere operarius quam potentissime exequitur. Ita in magno nomine templum Diane sacrum olim stetit eo quod felicem habuerit operarium, in illo enim nihil erat neglectum quo se post curas ipsi homines releuare solent, inuidia tamen opificis opera adficiebantur. Adclamant te nostre urbis consules oppidani, magnum hoc stema, inuidia maior, omnes ob titulum te honorant, interim vero alii ciues de te quid sentiunt & que in tua penitus extruunt clanculum id inuidia nutrit, hinc in labore & tuo ex ingenio sequentes comites declarantur inuidia, labor, vanitas, adflictio spiritus. Miserum vero atque stultum nulla sequitur inuidia, liuorque nullus. Stultus non prandium oppiperatum querit, nec manus suas ad improbum laborem adponit. Crasso opulento & homini curioso lauta indies erat cena, multis & obsoniis onusta, at huic nulla requies, continua vero spiritus adflictio, cogitauit enim & die & nocte ut turdis suo ventri inseruiret, stultus ita otiosus est liberque ab omni cura viuit ut manus ad vite quidem necessaria haud aperit, sibi adeo nulla rerum prouidentia ut eum marciscere in carne necesse est, murmurat & is secum hec. Surgam ego ante aurora. grabatumque mihi amicissimum relinquam. me potius dies media in lecto expectet, surgat in rem malam si vult auarus mercator, qui loculos ere plenos & domi cenam adorat splendidam, hinc maxime contentus viuo si in requie mihi venter pane & oleribus expletur, fugio & ego laborem ut hostem mihi satis atrocem, qui si diligentius eum domi nutrire, is lautiorem mihi adponeret cenulam. Ad hanc verborum seriem prebet & se alia vanitas non modica mihi spectatori de rebus humanis quam diligentissimo. Est enim unus & cui nec in sanguine secundus viuit, ex parens a vita defunctus Mu unicum post se reliquerit, nec is frigidus suo lateri unquam coniugem adsociauit, ut posteros genuisset, qui iusto & hereditario titulo Mu a vita defunctum testamentariis tabellis sese heredes scriberent atque instituerent. Idem autem in nulla requie viuit, laborat & quidem ad vultus sudorem, multum eris congregat, Mius & penu esculentorum copia adimpletur. horreum suum multum habet farris, huic & cella vinaria vino Cretensi sunt refertissima, in summa quicquid mortalium gula & venter adprobant & magnificant id secum pernoctat.

Et vidi ego omnem laborem & omnem subtilitatem laborum

Verum me ego & vidi vanitatem sub sole, Est unus & nullus secundus

25

2B 2B